

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII

Canonici Neap. & Regii S. Script. Interpretis

DE ANTIQVIS CORCYRAE NOMINIBVS

SCHEDIASMA

AD EMINENTISS. AC REVERENDISS.

ANGELVM MARIAM

QVIRINV M

S.R.E. CARD. BIBLIOTHECARIVM
EPISCOPVM BRIXIENSEM.



NEAPOLI A.N. CICIOCCXXXII.

Typis & expensis Novelli de Bonis Typographi Archiepiscopalis

Superiorum permisso.





Ix aliud quidquam est , CARDINALIS amplissime , majore cum audacia in toto pudentissimi poetae ac moderatissimi carmine evulgatum , quam illud ubi (*) Phaeacum tuorum naves non tantum intelligendi vi praeditas fuisse canit , verum etiam ad aliorum cogitationes intimas persentiscendas acumine ac perspicacia valuisse . Sane quae tantum percipiendo poterant , haud dubito quin eaedem pari quoque eloquendi facultate polluerint . Verum hoc illae tum scilicet conari valebant , quando non tantum pecudes inter se invicem , cumque hominibus verba commutabant , sed & quercus atque fagi Jovis Dodonaei munere garriebant . Nunc quam vellem , si minus Corcyraeorum naves , at saltem ipsa per se Corcyra sensus atque affectus suos effari hoc tempore per humanam vocem posset : hanc enim , satis scio , primam emitteret , qua Tibi , ANGELE Cardinalis , gratias ageret , tum multis nominibus , tum eo potissimum , quod se hoc ferreo saeculo vix de nomine notam , tuo immortali opere consecraveris , & quanta per aetatem illam auream & heroicam eadem , quæ hominibus qui nunc sunt vix ullo est in numero , exsisterit , luculento libri tui testimonio demonstraveris . In quam rem *μυροθήκη* veterum scriptorum universa ita consumpta & exhausta per Te fuisse , vix ut quidquam aut ne vix quidem reliquum feceris , quod tuis CORCYRAE PRIMORDIIS addi queat , minus equidem miror , qui tuam multijugam eruditio nem , quæ quantum est antiquitatis in numerato habes , summopere semper sim admiratus . Hoc magis miror , non certatim hoc precibus civitates clarissimas a Te contendere , ut paria de se aggrediaris . Verum de his , & quae sunt similia horum atque cognata , cum aliis qui Te norunt h. e. cum omnibus Musarum alumnis , & multus & quotidianus est mihi sermo . De Te autem apud Te

A 2

(que)

(*) Od. Θ 559.

(quem adversus universum hoc titillationis genus probe septum & permunitum sciam) eadem haec agere , quantae meae confidentiac , tui vero stomachi fuerit ? Quocirca universam hanc officii partem , quando Tu eam inofficiosam habes , libenter omitto .

At illud quidem certe prohibere non potes , quominus ingentes atque immortales Tibi gratias agam , qui me tam pretiosa gaza ditaveris , quantus est liber tuus , auro contra non carus : tum vero rogo Te , uti des mihi hanc veniam , si tantum mihi tribuerim , ut de aliqua symbola cogitarem ; quam a tuo egregio opere minime alienam , Tibi quasi ἀπόδοσος mitterem : etsi non sum nescius , me ἀμείβων scilicet illa tua

*Χρύσια χαλκεια, ἐκτυμποι εὐρεαζοις (**).*

Atque in ea cogitatione mihi defixo occurrit in ipso libri tui lamine locus ille , quo Tu vetera insulae nomina , & eorum ex Bocharto interpretamenta in medium protulisti . Nolim autem , quemquam de me suspicari , eo me arrogantiae processisse , ut collato pede decertare ausim cum viro tanto , quantus merito suo in omnium est ore Samuel Bochartus , vere princeps ejus studii , quo locorum nomina per etymologias Palaestinas expediuntur . Verum , uti dixi , non ea mihi mens est , ut traditas a Bocharto originationes elevem ; sed tantum uti meas proponam . Quod ubi διὰ βραχίων effecero ; permitetur Tibi deinde , Cardinalis sapientissime ac nobilissime , rei universae arbitrium .

Ordinar autem ab iis duobus nominibus , quae existimantur omnium vetustissima , nimirum ut prius Δεράνη i. e. *falk* appellata fuerit , mox Σχερία : quorum illud mere Graecanicum creditur , hoc autem Phoenicum . Heic equidem miror , si , quo tempore non modo Corcyram & remotiores a vera Graecia partes , sed & ipsam Hellada , atque adeo Athenas ipsas , plane βαρβαροφωνίας , Herodotus , Thucydides & quantum est antiquorum fatetur (ante Hellenem scilicet , quem ἡλλήνος primum auctorem faciunt) eo inquam tempore Corcyra non alio primo nomine usa fuerit , quam mere ἡλλήνες . Quid ergo est ? Si primum insulae nomen Δεράνη fuit (in quo cur antiquis palam id affirmantibus fidem derogem , non habeo idoneam causam) tum vero id nomen nihil minus quam Graecae originis fuisse oportuit . Verum de his postea , ubi ad hoc nomen ventum fuerit .

S C H E R I A

Nunc age ante omnia Scheriae nomen siqua possumus experdiamus ; mox dicturi de Drepante : ὑσπερ πρόπερ . Bochartus qui-

quidem , petita ex oriente vocis origine , mercaturae notionem ei
nomini subjectam esse voluit : felix , qui & hoc plerisque persuau-
serit : nam Tu quidem , ~~et i&ex*ox*as~~ supersedisti examine , tum hanc
tum alias viri magni ~~trum~~ hujus insulae relinquens in medio .
At euidem darem Bocharto manus ; nisi me alio antiqui scriptores
ducerent . Nimirum tum peretus Apollonii interpres , cujus Tu
verba pag. 5. (quo lectorem rejicimus) recitasti , tum Stephanus
& Eustathius , narrationem Aristotelis de ortu & causis vocis Scher-
ria suo calculo comprobarunt . Ea narratio in hunc modum habet ;
Cererem veritam , ne defluentes ex Epiro fluvii ipsam (ex insula)
continentem efficerent , a Neptuno (1) petuisse , ut fluminum cur-
sus averteret : quibus (~~i&ex*ox*as~~) cobibitis (eam insulam) pro
Drepante Scheriam nuncupatam . Cur hoc porro Ceres a decurren-
tibus amnibus metuerit , ne insula continentis admoveretur , non
aliud quam ~~et i&ex*ox*as~~ (h. e. limi adgestiones) in causa erant :
de quibus , ne cui festinanti per me mora fiat , videat , cui tanti
res visa fuerit , Strabonianas (2) animadversiones eo pertinentes .

At interim infelicem nimium Bocharti etymologiam esse necesse est , in qua nulla inest significantia fluminum aversorum ; quae nimirum causa fuit , ut insulae nomen vetus cum Scheria permuteatur . Nam amabo te , quando , ut vis , Scheria mercaturam significat : quantae id ineptiae fuisset , propter alio corrivata flumina

A 3 eam

(1) Neptunus idem est ac Japhet , ut optimis rationibus ostendit Bochartus . Hinc quia *insulae* & loca maritima Japheto obfigerunt , in certo Neptuno insularum & maris imperium traditur : imo & Auminum , quae *σύνημα* unum cum mari efficiunt .

(2) Multus in his Strabo est: qui lib. I.
pag. 37. Nili ~~ποράγας~~ intelligi posse dicit ex
eo, quod Homerus Pharum insulam in Menelai
adventu diurnae navigationis spatio a continen-
te removerit: quum tamen eadem insula securis
temporibus (promoto utique ex Nili adgesibus
littore) ponte cum contiguente juncta fuerit.
Item eod. lib. pag. 50. ex Stratone sic refert:
Fortassis etiam Ammonis templum aliquando ad
mare jacuisse, quod nunc, recedente mari, sit
in media terra: cuius conjecturae rationem af-
fert, ipsius Templo celebritatet, quae num-
quam tanta fuisse, si procul a mari ab initio ex-
sticisset. Mox addit, Sed ο^r Aegyptum priscis
temporibus mari fuisse irrigum usque ad palu-
des quae sunt apud Pelusium ο^r ad Casum mon-
tem, ο^r Serbonidem lacum: cuius rei indicium
affert arenas ο^r conchylia quae in his locis effo-
diuntur. Paullo superius eadem paginⁱ Stratonis
praedictionem de Ponto Euxino produxerat:

quem ex affluxu plurimorum & maximorum
fluminum aliquando totum terrae adgestibus re-
pletum iri auguratur: id quod ex sinistra Ponte
ora posse intelligi, qua parte promota longius
littora vocantur Στρην: quas Polybius πανιαν
vocat, h. e. terrae longam laciniam quotidie
ex fluminum adgestibus angescensem, ac maris
propellentem. Exstat etiam apud Polybium lib.
iv. vaticinatio de Ponte, aliquando (uti tunc se-
dabant initia) repleto adgestionibus fluminum.
Adhaec idem Strabo lib. xii. pag. 535. Oraculi
versus afferit, quibus fore tempus praedicitur, quo
Pyramus, amnis immodicis adgestionibus gau-
dens, Cyprum insulam tangat: quea insula &
Pyrami ostis plus, opinor, diurno itinere aberat:
ubi & Nili meniuit ατε τροσεξηπουρως ΤΗΡ
δελαττας τη προσχώσι, semper marina spacia
in continentem adgesto limo versantis: unde & Ae-
gyptum ab Herodoto δέργε τῷ ποταμῷ omnis
dunum vocari, quasi quea tota quanta sit illie
adgestionibus Nili debeatur. Habet denique heic
quoque Strabo paria de Pharo, olim παλαιόν αι.,
h. e. in alto posita. Nostra aetate oram maris
Hadriatici, sicutem ea parte qua se Padi ostia
exonerant, boream versus factam esse audiore
pluribus documentis confirmarem, si id age.

eam insulam Mercaturam vocari? An, si flumina illa pristinos cursus tenuissent, & , quae prius insula , hanc suis adgestibus peninsulam effecissent , ideo minus ea mercatura idonea fuisset ? Imo multo ob id aptior ; quia quo prius mari tantum patet aditus , ad eam ~~terrestris~~ jam terrestri quoque itinere perreptari potuisset .

At Graecorum etymon *Scheriac* , tametsi amnium *aversioem* , qua potest , complectitur , aut complecti putatur ; mire tamen ineptum est , quippe in analogiae leges peccans . Nimurum Graeculi persuadere volunt , ἀπὸ Σχερίας πέμπεται i. e. a *cobitis fluentis* , sive a verbo ζεω , insulam id nomen consecutam . Quid autem *Scheriae* cum ζεω , aut cum participio ζεόμενος commune est praeter litterulas duas Σ & Χ ? At ut etymologia Graece procederet ; saltem Σχερία non Σχερία dicenda fuisset . Verum ne plura . Certum est , ex Aristotelis (ut & eorum quos auctores hujus fabulae habuit Stagirita) mente eam narrationem complecti causam nominis immutati : eam vero causam frustra insudasse grammaticos ut ex Graeci sermonis penore expeditam depromerent . Sed quando mire inops est Graecia , quominus in *Scheriae* nomine *aversos* aut *inhibitos* amnes ostendat ; ad eam linguam , qua ante Graecam utebantur Noachidae , orientalem scilicet , animum convertamus . Ac bene est , quod veteres orientis dialecti heic non fallunt , sed pulcherrimas etymologias suppeditant , quibus deflexorum aut *cohibitorum* fluminum opportuna significatio contineatur .

Ac primum *Auser* , sive *Ausar* in Etruria praefefert persimilem fabulam , ab Aristotele indicatam , a Strabone autem accuratis enarratam , eam vero nomini fluminis mire consentaneam . Ne quemquam morer ; omnino videantur ea , quae in sexta Diatriba rum Tyrrhenicarum (quas nuper tom. 3. Dissert. Cortonensium Romæ edidit Pagliarinus) in AVSER disputavimus . Nempe eoredit narratio . Amnis *Auser* promisit accolis , se ita cursum cobibirum , quo minus aquae in ripas sese diffunderent , ac fata diriperent . Ac sane *Auser* promissa sancte servavit , nimurum fluentis suis , ne extra ripas graffarentur , in sublime etatis usque eo , ut qui ad utramque ripam constitissent , non se invicem conspicerent : quo circa segetes illaesae fuerunt . Hoc quidem totum fabulosum esse , superfluum est monere . Sed tamen ea fabella excogitata fuit , ut vocis *Auser* ratio redderetur . Ea vox Hebraeis (qui quidem עז Oser pronuntiant : at Syri O illud in AV resolvunt) quoties de aquis sermo est , *resentionem* aut *cobitionem* notat . Haec quidem pluribus loco citato : ex quibus potest conjici , cum *Auser* & *Scheria* similes fabulas prae se ferant , ex codem עז Oser utrum-

que fortassis factum . Ex ea quidem radice invariata manavit vox *Ausfer* ; at ab eadem nonnihil interpolata fortassis & Σχερία exsisteat ; nimurum gutturali *Ain* deperdita , & *Tsade* transiente in Σχ . Nam quia pronunciationem τῶν *Tsade* Graeci ignorabant ; eapropter modo per S , modo per T eam litteram reddiderunt : heic autem eam per Σχ expressisse videntur . Ita fortassis ex Heb. *Oser* factum sit Σχερία , ac deinde , cum congrua terminatione , Σχερία . Verum haec originatio , etsi ante dictae Graecanicae praferenda , tamen absit ut se mihi probet ; qui violentas etymologias oderim , eas autem consecter , quae sponte fluunt . Nec alio consilio haec produxi in medium , nisi ut fabularum similitudo hoc saltem ostendat , nim. voces *Ausarem* & *Scheriam* , etsi sunt locorum diversorum nomina , habendas tamen pro ευρωμοις , nec aliam notionem in *Scheriae* vocabulo esse querendam , quam quae *Ausferis* vocabulo continetur .

Nec aliorum vero , quam quorsum praedixi , nostra omnis στρυμολογία evadit industria . Nam mira res , sed tamen vera : quibuscumque consonis vocis *Scheriae* initium in linguis orientis prescribatur (sive prima littera sit *Zain* , sive *Samech* , sive *Sin* : secunda vero sive sit *Gimel* sive *Caph*) semper id significabitur , quod innuit enarrata ab Aristotele fabula . E. g. si ponamus , *Scheriam* a rad. זגָר *Zegar* sive *Sgar* oriri ; id verbum Syris est *increpare* , *objurgare* eo plane sensu , quo Deus in scripturis *increpare* dicitur mari , ne fines transiliat : quo sensu etiam Neptunus increpuit fluminibus Epiroticis , ne Corcyram versus decurrenter) itemque *cobibere* , *reprimere* , *prohibere* . Hinc Marci IV. 39. CHRISTVS ventis & mari increpat dicens , Σιάτια , ταπιμασο , i. e. *conticescito* , & *capistro compescitor* : ubi Syrus pro imperativo posteriore posuit סגיר *sgir* αντ^ב i. e. *cobibetor* . Ab eo porro verbo quae fiunt derivativa , ejusdem sunt significantiae : sic אַנְגָּר *Sgara* (sed Syri efferunt *Sgora*) est *probhibitio* ; & זְגָרָא *sugro* est *pessulus* , *repagulum* . Quo illud pertinet , quod dicitur Deus posuisse *ostes* וּ *ostia* ad cohibendum mare . Postremo idem verbum (nim. זָגָר *Zagara* sive *Sagara*) apud Arabes eamdem prorsus notionem , & loquendi consuetudinem obtinet .

Nec aliam vim habet Hebraicum verbum סגָר *Sagar* , quod est *praeccludere* ; ut etiam apud Chaldaeos ; sed maxime apud Syros , apud quos id verbum praeter traditam notionem , significat etiam *retinere* , *prohibere* , *sepire* : unde סגָרָא *sgara* (sive *sgoro* ; quippe Syri *Kamets* ut O efferunt) est *cobhibitio* , *retentio* , *excommunicatio* . Eodem refer & Arabicum שָׁגָר *sagare* , quod est *avertere* & *divertere* .

Postremo (ne quis forte obtendat , me afferre origines , in quibus loco **מִן Capb** , quod reperitur in *Scheriae* , sit *Gimel*) ut hunc inquam scrupulum , quamvis levissimum , evellam : erit certe *Scheriae* nomen ab Heb. **כְּנָר Suchar** , quod est praecedentis prorsus *sursum* , quodque etiam apud Chaldaeos *praecludendi* vim obtinet ; praecipue vero apud Syros , apud quos plur. **כְּכָרָא Schre** sunt ea *repagula* , *objices* , & *obstacula* , quibus aquae impediuntur , ut alio cursus deflectatur . Postremo apud Arabes verbum **סַכָּר Schara** non aliud signat , quam quod quaerimus ; usurpatur enim de fluvio , quem obiectibus aggeribusque intercipitur ad averterendum cursum : & **סֶכֶר Sibros** apud Golium est *agger* , quo amnis obstruitur atque intercipitur . Rogo autem lectoris , quicumque **אֲמֻנָה** sunt , ne in allatis radicibus ad vocales , sed tantum ad consonas , specent : quod initiati sacris orientalibus optime intelligunt .

Prorsus ex quocumque productorum thematum *Scheriae* vocem arcessas , eo semper negotium redit , ut ab intercepto & averso fluminum cursu factum sit *Scheriae* nomen . Imo , si verum faceri volumus ; productae radiccs minime diversae inter se sunt , sed ad unam eamdemque referendae ; alternantibus , uti fit , ejusdem organi litteris . Ut ecce *Sin* loco **מִן Samach** reperitur in Hebraeo *Isaiae xix. 10.* ubi **אַגְּבָתָה נִכְּנָה Secher agme** &c. est obex stagnis appositus ad pisces concludendos . Ab isto autem **שֵׁנָה Secher** , absorpta priore motione , sit *Scher* , unde cum Graeca terminations **Σχερία** .

Quemadmodum & ab eodem **שֵׁנָה Secher** aut *schber* (aut undebet ex radicibus supra allatis) vox **Σχερός** haud dubie manavit ; cuius significationem didici ex Hesychio ; apud quem plures voces a lingua primorum Noachidarum profectae (proinde nonnisi ex Hebraicis dialectis explicandae) tamquam gemmae inter carbones latent . Ait lexicographus : **Σχερός αὐτὸς κίνησεις** i. e. **Σχερός** est *acta* *sive littus* . Sane quia maris littora in Divinis scripturis vocantur *serae* , *veiles* , *estis* , quibus Dominus mare conclusse dicitur , ne fines illos transcenderebant ; ideo littus dialecto prisorum Noachidurum vocabatur **שֵׁנָה** aut **כְּנָר** i. e. *schber* sive *schber* (ea quo dixi significatu) unde cum Graeca terminacione factum est **Σχερός** .

D R E P A N E

HAbes , Cardinalis eruditissime , de *Scheriae* nomine quid iudicis mei sit . Nunc eo redeo , in quo aestuare me ante dixi . Nam illud quis potest concoquere , quod Graeci tradunt , hanc in-

sulam , antequam Scheria vocaretur , Δεράνη h. e. falcem Graeco nomine appellitatam ? Hoc ut quisquam credat, quo tempore insulani dialecto utebantur , quae esset Hebraicae surculus, unde & ex ea dialecto nomen suae insulae imposuerint , eo inquam tempore fuisse eidem insulae antiquius nomen alterum mere Graecanicum ? Jam provideo , quid sint responsuri . Nempe Graecum nomen a Graecis insulanis inditum dicent ; alterum Hebraicum a Phoenicibus . Nimirum insedit penitus mentibus hominum illa opinio , quam a Bocharto impensisima opera constabilitam , pronis auribus viri docti exceperunt . Hoc enim persuadere volunt , orbem paene universum a Phoenicum coloniis ουρανισθαι . Ita quaecumque uspiam Hebraica vestigia dignoscunt , ea protinus a Phoenicibus signata clamat : per eosdem nomina locorum omnia, si paullum modo ἐβραιζοντες , imposita contendunt . At fruantur isti quidem opinione sua . Mihi longe alia sedet opinio existimanti , exceptis iis Phoenicum coloniis , de quibus certiores nos vetus historia facit , ceteris in locis ea quae dixi Palaestina vestigia non a tantulo Phoenicum popello , sed multo antea ab illis Japhetidis , qui processu temporum alii post alios insularum (de quibus Moses Gen. x. loquitur) primi conditores extiterunt , impressa ab initio , postea perdurasse . Verum de his alio in opere (Phalegicae μωυαδασας) quod affectum habeo , plura a me dicentur , & , uti reor , verissime . Ergo Scheriae nomen non a Phoenicibus est , sed ab insulanis , aut finitimis inditum , priusquam οἰκητοὶ evaderent . Quo id modo , inquis , si jam ea insula antiquiore nomine Δεράνη dicebatur ; quod Graecum esse , nemo non videt ? Heic dabis mihi veniam , Cardinalis QVIRINE , si videar debere iudibrium in eo , quod ausim negare , id nomen plane Graecum fuisse . Sed vide , quid contendam . Ajo , id vocabulum primitus quidem fuisse orientale , h. e. a primitiva insulanorum dialecto profectum : at postmodum idem hoc nomen levi μωυαδασας a Graecis esse interpolatum , quo Graecum videretur .

Ac Δεράνη quidem ab oriente originatio pluribus modis expedi potest . Nam illud parum urgeo , quod Arabicum دارابه darabha de aquis fluentibus interdum usurpatur ; ut sit notio contraria ejus , quam praesefert Scheria . At Chaldaicum צְרָב Zerab (cuius radix prima littera cum Daleth passim permutatur ; & ultima ejusdem est organi ac Pe) non aliam quam effundendi & profluendi notio nem obtinet : quod & Hebraice reperitur significatu eodem . Ad haec idem verbum apud Syros cum infaciendi & constipandi notione usurpatur : quod eo pertinet , quod decurrentes insulam versus fluvii fretum illud eo usque limo infarserant & coartaverant , ut is prope jam insulam continentis adnederet . Ab hoc Syro verbo

plura fiunt derivativa eodem pertinentia : e. g. זורב zorbo est *farsura*, & זריב zribō (unde , permutata prima de more , erit *Dribo*) est *constipatus* , *inculcatus* , *infartus* : id enim freto illi acciderat , antequam amnes deflecerent cursum . Haec quidem etymologia mala non est : sed quaerenda sunt meliora .

Nam deduci *Drepene* verius possit a צראפ tsarapb , quod Hebraice est *conflore* : at Chaldaice est etiam *conjugere* , *consolidare* & *conglutinare* : hoc enim metuebatur (si fabulae ab Aristotele enarratae credimus) ne , oblimato magna ex parte freto , adhaeresceret insula , & cum continente coalesceret ; eoque insula illa *Drepene* h. e. *ferruminatio* dicebatur . Sane Chaldaicum verbum צראפ tsarap , sive (absorpto *Sceva* , & prima mutata in D , uti mox ostendam) *Drap* , sicuti in re metallorum est *consolidare* ; sic in re geographica idem fuisse , quod παραπονητής , h. e. ex *insula continentem facere* , declarant promontoria plura maritima ejusdem nominis , (3) qui-

(3) *De locis pluribus Drepani aut Drepantes nomen obtinuisse.*

Ordinar a *Drepano* Siciliae . Id peninsulae nomen erat , ante quam ibi ab Amilcare urbs exstrueretur anno primo belli Punici , ante Christum 264 , quemadmodum ex Diodori Eclogis colligit Cluverius in *Drepano* Siciliae , quem ades censeo . Urbs , quae peninsulae *Drepano* inaeditata fuit , dicta est Δρεπάνη plur. τῶν . Id etiam ibidem ex pluribus Diodori & aliorum locis confirmat Cluverius . Omnino quum *Drepani* num. sing. sit mentio , aut peninsulae , aut portum decet intelligere : nam quoties de urbe sermo est , dicitur *Drepana* numero plurimum , saltem apud meliores scriptores Graecos Latinosque . At Servius ad Aen . III. 707. 2 *falsa* sive *Saturni* , sive *Cereris* , sive a curvatura sinus in modum *falcis* , *Drepani* nomen factum ait . Fallitur : nam sinus ille nihil habet δρεπάνης , sed in acumen definit . Eapropter Bochartus ex orientis litigis etymologiam *Drepani* concinnavat , quam videlicet apud euimdem . Quae esti difficile est , ut sectatores habeat , tandem illud facile afflentior , totum *falcis* negotium postea a Graeculis superstructum fuisse : ceterum *Drepani* originationem a linguis Asiaticis esse pertendam . Vno verbo : eadem est *Drepani* Siculi (quatenus peninsulae nomen est : nam urbs res est Punicorum temporum) ac *Drepantes* nostrae Epiroticae etymologia : quam sic suadeo . Mons *Eryx* (cuius pedi ante bis mille saltem annos peninsula *Drepanum* adnectitur) antea a dicta peninsula freto intercurrente , ut mihi persuadeo , se jungenebatur : h. e. quae peninsula nunc est , antea insula fuit . At torrentes ex *Eryce* decurren-

tes paullatim fretum oblimarunt , & eam , quae tunc insula erat , *Eryci* adjunxerunt : *Eryx* vero ipse ex promontorio mons evasit . Id posteaquam factum est : tum vero nova illa peninsula *Drepanum* , h. e. *consolidatio* appellata fuit . Sane curiosi rerum harum hoc experimento explorare poterunt , num mea conjectura recte flet talo . Etenim , si estossis quaquaversum in isthmo hujus peninsulae puteis , eadem ubique terrae strata reperientur , quae in ipsa peninsula , tum vana haec conjectura erit : sin alicubi in eo isthmo diversa terrae genera temere confusa comprehendentur , hoc argumentum apertum erit , ibi ex adgessionibus torrentium factam fuisse *consolidationem* illam , quam Δρεπάνη nomine significari diximus .

Idem prorsus erit judicium de pluribus promontoriis , quae reperio *Drepani* nomen obtinuisse . I. In eadem Sicilia *Drepanum* promontorium fuit (ex Plini recensione III. 8.) prope Tauronium , ubi nunc *Capo di S. Alessio* : vide Cluverium . II. Ejusdem nominis promontorium in septentrionali Creta latere ex Ptolemaeo . III. Tertium in Cypri latere occiduo ex eodem Ptolemaeo . IV. Quartum ex Ptolemaeo in ora Cyrenaicae . V. Quintum in Marmaricae littore prope Paraetonium ex Strabone lib. xvii. p. 799 . VI. Sextum in insula Icaria apud euimdem Strabonem lib. xiv. pag. 657 . VII. Rhium Achiae pronontorium Ptolemaeo & Straboni lib. viii. pag. 335 . etiam Δρεπάνη nuncupatur , & quidem (iti hic perhibet) a *falcis* similitudine . VIII. Octavum in Aegypto ad sinum Arabicum inter Clytina & Myoshormum ex Ptolemaeo . IX. Nonum in eadem ora

quibus idem accidisse videtur, atque id quod huic insulae dicitur evenisse, nimirum ut, fluviis limum adgerentibus, tandem continentis adhaeserint: eaque de causa videntur *Drepanti* nomen consecuta.

Restat unus evellendus scrupulus, quo pacto ex Chaldaeo נְצָרָפ fieri potuerit vox *Drepene*. Verum in hac voce N quidem servile est, quod in fine additum, servit formandis nominibus. D vero pro littera *Tsade* positum est: quam litteram *Tsade* scimus apud Arabes ut D sonare, quoties superne puncto notatur, quam ii litteram eo puncto praefixam appellant *Dad*. Ad haec Chaldaeis ipsis *Tsade* facile transit in *Teth*: hoc vero alternat cum *Daleth*. Vtcumque se res habuit: certe sicuti ex נְצָרָה *hatser*, pro varia וּ *Tsade* pronunciatione, factum est tum *Hatria*, tum etiam *Hadria* (de quo videantur dicta in nostris Tyrrhenicis, Romae ante hos duos annos evulgatis to.3. Dissert. Corton.) sic a verbo נְצָרָפ aut *trap* factum est *Drepene* (nimirum Graecis ad notiorem sibi δρεπάνης h. e. *falcis* vocem trahentibus וּ *Tsade* pronunciationem)

A 6

pro

sinus Arabici in parte Troglodytarum, quod Stephanus (in Δρεπάνη) vocat ἔρθροι Αἰδίστια: de quo Plinius vi. 29. *A promontorio Indorum*, quod vocatur *Lepte Aca*, ab aliis *Drepanum*: quod male Harduanus cum superiori confundit. Haec ex variis auctoribus, quos laudavi, colligere potui promontoria cum *Drepanti* nomine. Ex his autem fokum Rhium a *falcis* similitudine Δρεπάνος vocatum Straboni dicitur: quod & falsum est. Atqui equidem conjicio, haec omnia promontoria, antea rupes mari circumfluentes h.e. insulas fuissent: deinde vi torrentium sive ex eiusdem rupibus sive ex continente decidentium, freta, quae intercedebant, limo oppleta fuissent, ac proinde promontoria ex insulis evassisse: quod ubi factum est, tum vero *Drepanti* h.e. ferruminationis nomen obtinuisse.

Idem dicemus de *Drepante* Bithyniae oppido maritimo apud Stephanum, & alios quos citat Cellarius: idem de *Drepana* Lyciae (quam etiam littoralem fuissent non dubito) apud eumdem Stephanum. Vtraque videtur ex insula evassisse peninsula, oblimato freto: eoque illam appellacionem consecuta: et si Stephanus versum citeret, quo *Drepante* Bithynica a *Saturni falce* (ἄτω Κρονίδαι σιδήρῳ) sic appellata dicatur. Item duae parvae insulae circa Lebinthum, quae eodem nomine donantur apud Stephanum, fortassis antea quatuor numero fuerint: mox, consolidae in duas, ob id illud nominis retulerint. Omnino quum tot loca *Drepanti* aut *Drepantes* nomen claram consecuta fuerint: nullum ejus nominis locum in mediterraneis politus reperire

usquam potui: eoque magis suspicio nostra firmitatur. Ac prorsus videtur *Drepante* sive *Drepantum* fuuisse antiquitus vox στεχνική ad geographiam heroicorum temporum pertinens, communis iis locis omnibus, quae πτερωθῆντα contigit ob eas, quas dixi causas.

Nec à vero abhorret, si dicamus, vocem ipsam appellativam δρεπάνος, qua *falcem* designat, ex eodem נְצָרָפ sive *drap*, quod est *constare*, & *consolidare*, fuuisse factam.

Poltremo *Sarepta* Sidoniorum urbs maritima (quae 3. Reg. xvii. 9. vocatur צַרְפָּת *Tsorpath*) non est dubium, quin sit ab eadem radice נְצָרָפ toties a me nominata. Nec differt a *Drepante* sive *Drepante*, nisi quod in posteriore τῷ *Tsade* de more mutatum fuit in *Daleth*: & quod ultima servilis & Heemantica littera in uno est *Nun*, in altero *Tau*. Haec levia si excipias, *Drepante* & *Sarepta* (aliis *Sarapta*) nihil prorsus inter se different. Legesis de *Sarepta* Relandum: apud quem geographus Arabs, prope *Sareptam* flumen *Lante* decurrere tradit. Quis scit annos quae primitus insula, postea ex eius huminis adgestibus continentis adhaeserit? Vei sic tamen ipsa civitas humili in solo fundata erat, sive περὶ τὸ κλύσμα τῆς θαλάσσης i. e. in alluvione maris, uti loquitur Phocas apud eumdem Relandum. Ex qua Phocae descriptione conjici & hoc alterum possit, solum illud non ab initio existisse, sed a fluminum & torrentium adgestibus additum, humile perdurasse. Verum satis jam conjecturis inducimus.

pro Trepone : Interim haec posterior pronuntiatio cum T usurpatur nunc in Drepanis Siciliae, quae vulgo *Trapani* appellantur; ubi etiam terminatio in I index est in sermone Italico plurativi numeri.

Postquam autem in eo insulae nostrae nomine D pro *Tjade* invaliduit, ac τὸ πέρι pro *trepan* coepit *drepān* pronuntiari, & cum Graeca terminatione Δρεπάνη, quod *falcem* significat; facile deinde Graecis fuit *curvaturam* uti volunt (4) nonnullam in ea insula observare (quae ubinam quaeſo non aliqua occurrit?) itaut δρεπανάδες h. e. *falci similis* videretur; mox etiam consuetas de *falce* nescio qua, sive Cereris sive Saturni, fabulas ferere.

At etiam fabula altera (quam ab antiquis per manus traditam nobis conservavit Aristoteles, de insula prius Ἀπεράνη, mox, aversis amnibus, iterum disjuncta) Hebraicis *Drepanes* & *Scheriae* significationibus, ut ante dictum, superstructa fuit. Nec alias reperio tutiores etymologias, quam quas fabula aut vetus historia confirmat. Quamquam ceteroqui nihil vetat, sublato tantum numinum interventu de media, cetera narrationis illius vera fuisse. Quid enim impedit, quominus, quum primitus defluentes eo versus ex Epiro amnes fretum paene oblimassent, insulae illi Δρεπάνη (h. e. *adglutinationis* seu ἀπεράνη) nomen factum fuerit? Deinde, quia mox illa flumina sive terraemotu, sive quo alio casu, sive impensa per insulanos aut Epirotas opera, fuissent aversa; ob amnum *cobibitionem* eadem insula Σχερία fuerit nuncupata? Atque haec tenus de *Drepanes* & *Scheriae* nominibus a me dicta, judicio tuo, Cardinalis Amplissime, permitto,

P H AE A C I A

Phaeacia insula non dedit Phaeacibus nomen, sed ab iis (postquam ex Hyperea insula in hanc Epiroticam profecti fuerunt) acce-

(4) Etsi in Ptolemaicarum Agathodaemonis Tabularum ea, que est Europae decima, Corcyrae latuš illud, quod Epiro obtenditur, tam leviter curvatum reperio, ut pro recta linea haberi possit: id quod etiam in Nic. Samsonis Tabula antiquac Graeciae manifestum est: tamen stultissimus sum, si non eam Corcyrae figuram amplectar, quam eruditissimus Card. QVIRINVS testis oculatus suis Corcyrae primordiis praefixit. Quia ergo ea insula prorsus falcata sit: quaeri possit ad quodnam *falcis* genus reduci debeat. Lycophron, ubi hanc insulam Αρπην pro Δρεπάνη vocavit, nihil adjuvat: quia utramque γένον vox est, & ad plura *falcis* genera dicit. Apollonius quia (καλαμπόνας ἀρπην)

messoriam Cereris *falcem* occasionem appellationi insulae dedisse tradit: videtur sensisse, figuram insulae fuisse eamdem ac *messoriae falcis*, ad quam Corcyrae quantulacumque curvatura, qualis est in dicta Tab. Agathodaemonis, plus accedit, quam ad quodvis aliud *falcis* genus. At in Nic. Samsonis Tab. Antiquae Graeciae eadem insula *falcem* vinitiorum refert, cuiusmodi a Columella 1v. 25. describitur. Rostrum *falcis* hujus erit a promontorio Cassiopae orientem acstivum versus. At quemadmodum Corcyra in fronte libri ξένοχωτά τα QVIRINI depingitur, *falcem* faenariam refert. Nec possim equidem αὐτόπτην per plures annos Cardinalem in eo non sequi.

acepit . Istorum autem *Phaeacum* originatio , quemadmodum a Bocharto tradita fuit , cur mihi se non probet , non leves habeo causas; atque hoc in primis , quod vir doctus nimis vagam *Phaeacum* etymologiam assignat , quos putat a *praestantia* (cujus notio *Phaeacum* nomini ex Arabicā lingua exposito subsit) sic appellatos . At quemnam mihi populum reperi potes , qui generalibus hujusmodi nuncupationibus delectaretur ; quique ad REVBAV (ea est περιπατητική vox notissima , qua nostrae actatis Peripatetici *transcedentes* , uti vocant , terminos complectuntur) sui nominis etymologiam referret ? Quamquam ne ἀντίληψις , quidem Phaeaces usque adeo fuerunt , ut oblocutoribus carerent . Verum quid moror ? Apud Arabem interpretem in 1. Sam. xxvii. 1. 3. vox πάκα phakaba significat *dīzinos* . Et haec quidem vox est ex rad. πάο ex qua & Bochartus suam *Phaeacum* etymologiam hauserat . At praefat eorumdem etymologiam petere ex Arabicō verbo ψάχ phaaca , quod Conjug. V. est *bene ominari* , sive ex alicujus nomine aut sermone divinationem capere: a quo verbo fit ψάιχ phaieb h.e. *ominator* sive bonorum prae-nuntius : & quae plura inde frunt ejusdem significationis nomina . Mihi sane non vacat ab Homero aut aliunde huic *Phaeacum* ominandi arti praesidium arcessere . Nae Tu id optime potes , Cardinalis doctissime , si de ditissimo tuae memoriae penore paullum modo commodare velis . Interim succurrit mihi nunc illud Od. N. 272. quo loco Alcinous calamitatem navis a Neptuno in saxum conversae a Nausithoo patre suo sibi tanto ante praedictam narrat .

μάλα δέ με παλαιόφασι θεόφαλ' ικάνη
Πατέρος ἀκαίο .

*Jam cecidere mihi , cecinit quae mente fagaci
Ante pater .*

Verum vel si documenta desint ; certum tamen est , quocumque te verteris ; Φαιάκας sive Φαιάκας non nisi ab ominandi aut divinandi arte (qua eos polluisse , ex nominis indicia certum habeo) fuisse primitus nuncupatos .

M A C R I S.

Est & quartum hujus insulae nomen satis antiquum , quo utitur Apollonius apud Te pag. 2. & 6. ubi Μάξεις eam appellavit . Id vero nomen ei commune cum Euboea fuit . Quumque utraque insula in longum pretendatur ; cuivis facile fuit suspicari , Μάξεις quasi μαργαρί fuisse vocitatum . Id quod & Tu , Cardinalis , credidisti ; & ego libens do manus ; verum eatenus tantum , quatenus de Graeco fonte potamus . Verum si ad ulteriores origines spectare sit animus , longe alia , & quidem verior originatio comperietur , ex

orientे fluens , unde sunt primitivae locorum appellations . Hujus autem vocabuli rectus casus vulgo videtur fuisse Μάκρη . At equidem utroque modo , & Μάκρη primitus , & mox etiam Μάκρη usurpatum fuisse suspicor ; sicuti sunt illa δαρεῖς & δαρεῖν , αἴτιος & αἴτιος & alia sexcenta . Aut vero ea regula valebit , quam Bochartus pag . 397. i. tradidit , adnotans , Hebraea nomina in N terminata apud Graecos pro accusativis habita , unde postea rectos casus in Σ finitos ex analogia fecerunt , ut a Jonathan Iωάννη , a בְּנֵי cohen (i.e. sacerdos) Hesychianum illud Κόνες aut Κόνης , i. e. sacerdos apud Cabiros &c. Sic etiam ex Hebraico Μάκρη , tamquam si esset accusandi casus , fecerunt rectum Μάκρης . Verum ne multis : Μάκρη ne littera minus est ipsum Hebraicum מָקְרִין makrin , quod Ps. LXIX. 32. redditur cornua emittens . Cur autem tam Euboea , quam & Corcyra dicantur cornua pretendere , nae is intelliget , qui ad canticum Is. V. 1. animum converterit . Ibi vinea fuisse dicitur in cornu filio olei i. e. in monte pinguissimo seu fertilissimo : & hanc veram esse hujus loci explicationem , non sinit dubitare optimus Paraphrastes Jonathan , qui pro cornu posuit בְּטוּר בְּטֻר betur ram i. e. in monte excelsa . Ergo quem utraque illa insula Makrin vocatur i.e. (si sic loqui licet) cornificans aut pretendens cornua ; cornuum nomine intellige promontoria , quae in utraque plura sunt ; ipsas autem insulas habeto tamquam cornigera animalia . Et quidem si Euboeae latus illud , quod ad orientem hibernum spectat , cum capite belluino conferre sit animus ; tum ei capiti sua non deerunt cornua duo , versus meridiem quidem & Atticam promontorium Geræstus , versus vero orientem aequinoctialem Caphareus . Sic etiam in Corcyra tamquam bellua capitis loco erit illud latus , quod ad boream spectat : in quo capite hinc Phalacrum , illinc Cassiopaeum promontorium , veluti cornua pretenduntur . En cur utraque insula Macrin i. e. extendens cornua appellata fuerit .

C O R C Y R A.

Restat ad ultimum Corcyrae nomen . Ac bene est , quod etymologiae suae parum heic fidat Bochartus . Qui certe , quum plures ex omni parte pulcherrimae nominis hujus ἡτύμονες suppetenter , si intendere animum voluisset ; cur omnium deterrimam sit confessatus , aut τι ταῦτα , non queo dicere . Ego plures originationes producam in medium : tuum deinde erit , ANGELE Cardinalis , decernere , ecquaenam sit Corcyrae tuae præ ceteris convenientior .

I. An Corcyrae nomen sit a Corcyraeis conditoribus inditum.

Ac primum omnium poterat *Corcyrae* vocabulum arcessi a *Corcira* urbe Assyria (cujus nusquam alibi, quam apud Ptolemaeum mentionem reperio) aut vero a montibus Armeniae illis, in quibus Arca post diluvium constituit; qui montes ab Alessandro Polyhistore apud Eusebium (cujus verbis recitandis abstineo, quippe jam a Te productis pag. 13.) *Καρκυραιαὶ ὄγη* montes *Corcyrae* vocantur; iidem scilicet, qui aliter vocantur *Gordiaci*, itemque aliis pluribus nominibus eo accendentibus, quae omnia Bochartus in I. Geogr. sac. 3. collegit. Quo, inquis, pacto nomen insulae ab Assyria, aut Armenia usque repetetur? nimur si fingamus animo, ex illis partibus aliquando coloniam in hanc insulam fuisse deductam. Id quidem fieri potuit: verum ut ita factum esse dicamus, nullas tabulas, testes nullos proferre possum. Ceterum si umquam sive a *Corcyraeis* Armeniae, sive a *Corcira* Assyriac coloni in insulam hanc venissent; id certe ante hominum memoriam contigisset; propterea quod nullum ejus *τάχις* exstat usquam apud auctores vestigium. Tum vero & hoc statuendum esset, *Corcyrae* nomen habuisse *τάχις* illi antiquissimae parem antiquitatem. Nunc contra video, *Corcyrae* nomen ultimum eorum censeri, quibus nostra insula vocabatur; quippe nec ab Homero nec a poetis iis, qui antiquioribus nominibus student, sed ab Herodoto & Thucydide primum usurpatum. Ceterum *Corcyrae* nostrae cum *Corcyraeis* montibus communes existisse causas, cur eodem vocabulo donarentur infra demonstrabimus.

*2. Radices orientales quatuor non amplius esse possunt, ex quibus Corcyrae vox *ἀραλογίως* derivari queat.*

Et haec quidem, quae haec tenus posui, vel si vera sint, nihil tamen prorsus *επιμολογικόν* complectuntur, sed meram nominis, ex altero conditore populo propagationem. Age aggrediamur *επιμολογικήν τραγυδίαν*.

Omnino autem ut universa haec etymologiarum *Corcyrae* syllava sic tamquam indagine cingatur, nequa elabi quidquam, quod eo pertineat, possit; sic inco rationes. Radix, unde oriri *Corcyrae* vox debuit, est ex genere duplicantium primam ac secundam litteram (nam in *Corcyrae* vocabulo duplex C, itemque duplex R scribitur): cuiusmodi *ἀραδίπλωσις* in verbis, quae vocantur *Duplicantia Aīn*, est valde familiaris. Itaque in radice, quam quaerimus, aut *Cuph*, aut *Kopf*, aut *Gimel*, aut *Cheth bīs* repeti debet; quod eo prae-

monui ; ne quis id laboret , ut e. g. *Capb* simul & *Koph* in radice , quam investigatum imus , reperire se posse confidat . Ita fit , ut necessario *Corcyrae* vox ad unam ex his quatuor radicibus sit referenda , nim. נָגֵר , aut זְרוֹחַ , aut כָּרְכֶד , aut postremo קְרָקָה . Et omnes quidem hae quatuor radices usitatae sunt , ac suas habent significaciones , de quibus mox sigillatim . At ex quatuor his illam , quam secundo loco posui , eximendam puto ; quae heic , ut arbitror , locum non habet . Etenim **Hebraicum & Chaldaicum** זְרוֹחַ *charbur* significat *adustam* aut *adustionem* . At equidem non video , quis *adustioni* locus in ea insula fuerit . Eamne insulam *adustam* dicemus , quam Homerius (in versibus proxime recitandis) *Zephyri* flatibus mirifice recreari , canit ? Ut omittam , quod *Chetb* Hebraicum per χ Graece reddendum fuisset . Ex quibus rationibus conficitur , radici זְרוֹחַ *charbur* heic locum nullum esse . Nunc trium reliquarum singulas ad trutinam exigamus , & quae-
nam ex eis *Corcyrae* etymologiae sit convenientior , investigemus .

3. *Corcyrae originatio a נָגֵר gargar ; ita ut eo nomine τολυκαρπίᾳ , aut convisiorum luxus designetur .*

Jam primum omnium potest id nomen arcessi a נָגֵר *gargar* , cuius plur. *gargerim* Is. xvii. 6. sunt batcae seu fructus arborum . Apud Chaldaeos id nomen eodem significatu multo est usitatius ; apud quos etiam est verbum נָגֵר *girgar* , quod est *grana* , *baccus* seu *fructus producere* . Homeri *Vlyssēm* qui legerit , nae is probe videt , quorsum haec etymologia tendat . Nam cui nota non est Homericā descriptio feracitatis arborum *Corcyracarum* ? Cujusmodi est illud Od. H. 117.

Τάῦρον ἀπότοτε καρπὸς ἀπόδικται , οὐδὲ ἐπιλικτη
Χίμαρος οὐδὲ θέρις ἐπεπνισθεῖ . αἷλα μάλ' αἰεὶ¹
Ζεφύριν πετεσα τὰ μέν φύει , αἷλα δὲ πέσεται .
Οὐγχην ἐπ' ὅγχην γηράσκει , μῆλον δὲ επὶ μήλῳ ;
Αὐταρές εἰς ταφοὺς ταφοῦν , σύκου δὲ εἰς σύκη .

Quorum versuum (quos Tassius Etruscos fecit) elegantiam et si non possum , quin interpretando deteram ; sic tamen utcumque Latine sonant .

*Fruitus non umquam perit barum , intermoriturve ,
Seu sit hiems , seu stella Canis ; verum usque perennat :
Nam Zephyrus levis bos dum procreat , excoquit illos :
Sic pira succrevisse piris , sic malaque malis ,
Atque uvas uvis videas , ac ficubū' ficus .*

Quid mirum si tanta agri felicitas nomen insulae quaesierit ?

Adhaec ex eo quod Heb. נָגֵרָה *gargera* seu גָּרְגָּרָה *gargeretk*

significat *fauces* aut *fistulam guttaris* (ut etiam apud Chaldaeos Syrosque) facta est vox Chaldaea גַּרְגָּרָה *gargeran* , quae *epulonem* , *voracem* , *concessatorem* notat . Atqui hoc , si quid aliud , quantopere in Corcyram conveniat , Homeri Odyssaea docebit , & univeritas antiquitas . Vel Te lectores adeant toto capite xiv Corcyrae tuae . Hinc illud Horatii I. Ep. 15. *Pinguis . . . Phaeaxque reverti* ; Et quod eod. lib. ep. 2. *Alcinoi sunt belluones* ; itemque quod Αλκινώος τραπέζα locutio est proverbialis apud Nanianzenum . Vtiusque harum originationum etsi me minime poenitet ; habeo tamen probabiliores alias duas , quibus praecipua Phaeacum studia designantur .

4. *Duo fuisse praecipua Phaeacum studia , saltationem & nauticam artem.*

Nam duarum maxime rerum causa Phaeaces in pretio erant , artis nauticae & saltandi artificio . In Homeri Odyssaea utriusque studii specimina & laudes tantas , quae fidem superant lectores habent : qui si Te adibunt cap. xi. & xii. , non dubitabunt , quin insula illa in utraque arte eo usque excelluerit , ut ab earum altera , aut ab utraque nomine adipisci facile potuerit . Utramque peritiam mirifice probat & illud Plutarchi (quod a Te produxitum pag. 135. valde me delectavit) quo loco is omnem a Nausicaa impudentiae suspicionem amolitur , propterea quod ex Vlyssis sermonibus ingenii illius & prudentiae argumentum faciens , σύχητος παιδείας , ἡ τελετὴ την , οὐδὲ ἐχειναὶ τὸν τοτὸν επειρίτης sibi maritum adjungere , quam quemvis alienum de cibis navicularium aut saltatorem . Nec interim aliud ullum opificium in Phaeacibus laudat ; sane quod intelligeret , duobus his exercitamentis aut alterutro Phaeacas universos , pro se quemque , distineri . Nunc age dispiciamus , an Corcyrae vocabulum ex Orientis linguis expositum utramque aut alteram earum artium praeferat , aut aliquid certe aliud Corcyraeorum peculiare .

5. *Gradus fit ad rad. כָּרְבָּה , qua אֲלֹדֶנְדִּי , אֲוִרְגָּנִי , אֲסָלְטָנִי significatio continetur : omnia apposite ad Corcyrae nomen .*

Progrederior jam ad rad. כָּרְבָּה : quae optimas ac pulcherrimas originationes Corcyrae suppeditat . Ac primum omnium Arabicum כָּרְבָּה *carcarā* est *ludendi* & *ridendi* verbum : quo etiam significatur multum agitari peculiariter in aëre . Pertinet , ni fallor , ea verbi significatio ad τὸν ἀσπαζίσαν , seu ad pilae lusum , de quo Homerus Oct. vi. de quo Tu scite & erudite plura collegisti pag.

126. & seq. ubi & saltationis cum iudicra sphaera junctae inventio-
nem Nausicae Corcyraeorum heroinae ab antiquis tributam, ad-
monuisti. Videantur & Arabica Lexica in rad. כַּרְכָּרֶת carra : plures ibi
voces occurrent, quae *sphaerulam*, *globum*, *pilam* designant. Non
ineptam hanc ~~interpretationem~~ dices : at pulchior est multo quae sequitur.

Nam ex eadem rad. כַּרְכָּרֶת Hebraicum *circaroth*, quod Is. LXVI. 20. *carrucas* significat. Consentit & Chald. כְּרָרָר Karar (nimurum enim *Caph* & *Koph* ejusdem sunt organi, nec raro apud Chaldaeos permuntantur) quod *aurigam* aut *cisarium* designat ; & quod Chaldaicum קַרְקֵרִין Karkerin Schindlerus *lecticas* interpretatur. Non possum, QVIRINE Amplissime, hanc ~~interpretationem~~ contemnere, qui Corcyrae tuae initium capit is xvi. quod est de Nausicae aurigatione, cum admiratione ac voluptate lege-
rim ; ex quo putavi laudato Isaiae (5) loco lucem affirri posse. Etenim sicuti Isaiae כַּרְכָּרֶת *circaroth* est *mularc vehiculum*, seu *carruca*; sic etiam & *vehiculo* illi, quo utebatur Nausicaa Od. vi. muli jungabantur : ut plane videatur *Corcyra* ab Heb. *Circaroth* i. e. a *carrucis* dicta. Optima quidem etymologia. Adhuc tamen meliora quaerimus.

Jam enim verbum ipsum כַּרְכָּר circer aggredior ; quod non est dubium quin sit *saltandi* verbum tum apud Hebreos, tum etiam apud Chaldaeos, apud quos ab eo verbo fit & vox deriva-
tiva כְּרָרִין circarin, quod *saltationes* significat. Convenit & Arabicum verbum כְּרָכָר carcara, quod est *multum agitari*, pecu-
liariter in aëre. Quocirca mirof, cur nonnulli critici dubitaverint, num 2. Sam. vi. 14. verbo כַּרְכָּר revera Davidis ante Arcam *saltatio* declaretur. Verum qui aliud ibi quam saltationem intelligunt, nae ii nihil intelligunt. Ac ne plura : habes, Cardina-
lis optime ac sapientissime, in hoc *saltandi* verbo optimum Cor-
cyrae tuae etymon, quod illi alteri frigidiusculo opponas, quod Bochartus haesitans produxerat. Ac bene est, quod Tute, vel
me

(5) Isaiae LXVI. 20. sic legitur in Vulga-
ta: Et adducent omnes fratres vestros de cun-
tilis gentibus ... in equis οὐ in quadrigis οὐ in
lepticis, οὐ in mulis, οὐ in carrucis ad mon-
tem sanctum meum. Carrucis Hieronymi re-
spondet Hebraice כַּרְכָּרֶת circaroth : quam
vocem alii *veredarios* (*veredos* dixilient melius:
nam *veredarii* sunt homines) alii generaliter
animalia velocia, Bochartus *dromedarios* inter-
pretatur. Equidem non dubito, quin Hierony-
mi interpretatio sit una omnium veritissima. Ete-
nim Carruca (teste Valegio ad Ammianum)
est τατραχυλού ὁχημα i. e. *vehiculum* ro-
tarum quatuor, quo honoratores utebantur:
καὶ male carrucac veterum respondet hodie

quae dicitur *Carrozza*: nisi quod *carrucae* tan-
tum muli mulaeve jungabantur, at *carrozza* no-
stra hodie promiscue tum equis tum mulibus
trahitur, et si olim ferme mulibus. In hoc au-
tem Prophetae loco sicuti equis statim subji-
ciuntur ea *vehicula*, quibus equi jungabantur? sic par fuit ut mulari generi subjecerentur mula-
ria *vehicula*, i. e. *carrucae*. Accedit quod
CARRVCA erit ipsissimum Hebraicum nomen,
cui respondet, si *υεραδειον* tollas, & *carr-
aram* pro *carruca* scribas. Carrus ab eodem
est Heb. themate, indidem & verbum *curro*, &
curvus : a כַּרְכָּר caras omnia, reduplicacione
sublata. Valcant interim vulgares harum vocum
originaciones.

me tacente, **QVIRINE** Cardinalis, cap. xi. huic etymologiae mirifice velificari; ex quo lector intelliget, quantopere in saltandi artificio Corcyraei excelluerint. Aut qui tuis **Primordiis** **Corcyrae** carent, Homerum adeant pluribus Od. ε locis.

6. *Proponitur ceterisque praeponitur etymologia a rad.
Karkar ; itaut Corcyrae nomini subicit
nauticae peritiae notio .*

Restat ex iis radicibus, ad quas Corcyrae nomen referri possit, ultima. Ea est Hebraicum verbum קַרְקָר Karkar, quod Is. xxii. 5. est *destruere & vastare*. Nec secus Num. xxiv. 17. esse accipiendum quaedam ejus loci versiones ostendunt; nosque id in Biblicis nostris observationibus firmabimus. Ibi, fateor, Onkelos vertit טַלּוֹת ishlot i. e. *dominabitur*, & Syrus utitur *subjugandi* verbo: at hi certe non alia de causa sic reddiderunt, quam quia per *vastationes* ac strages dominium acquiritur. Convenit Chaldaica usuratio verbi קַרְקָר Karker cum *vastandi* significatu: apud quos etiam קַרְקָרָה Karkura (quod est ipsissimum Corcyrae nomen) est *vastatio*. Quae omnia eo nos ducunt, ut potuerit Corcyra a virtute bellica & militari nomen sibi querere: quod sicuti non abnuo (quid enim abnuam, quum Tu eos Marte plurimum potuisse ostenderis?) sic eatenus tantum praestare id ausim, modo de potentia navalium eam *vastationem*, quam praefert Corcyrae nomen, interpretemur. Ergo equidem non repugnavero, quin, quia Corcyraeorum classis, quocumque irruisset, *vastitatem* afferret, ab eo sit factum, ut insula ipsa Corcyrae h. e. *vastationis* (& quidem activa notione) nomen sit consecuta.

Tametsi potest & alio faciliore modo navalis Corcyrae notio expediri. Nimirum enim in linguis pluribus Corcyrae vox quadam navis genus designat; illud scil. quod Graecis Κέρκυρα, Latinis *Cercurus* dicitur: nec secus Syris, & Arabibus nominatur; de quibus, infra. Ac citant viri (6) docti grammaticos aliquot,

tam-

(6) Henr. Stephanus in Appendice Thesauri ait, Aristophanis Scholia ac Suidam scripsisse, τὸς Κέρκυρα (sic enim sine diphthongo α duobus his grammaticis scriptum dicit) hic αὐτὸς τὸς Κέρκυρας, i.e. ab inf. Corcyra esse nominatum sicuti, & τείχη αὐτὸς Πλάγια. Similia his apud Camerarium ad Plautum reperties, & apud utroque antiquorem Turnebum xxxix. Advers. 18. At equidem nihil horum nec in Suida reperire posui, nec in Kutteriana Aristophanis editione, ne ad *Aedium* quidem verum 1463. ubi Κέρκυρα προτὶ α Comico memorantur. Imo ne in Phaveriano quidem.

qui nihil omisit eorum, quae in Aristophanis Scholis, aut Suida repererit. Etsi non nego in aliis Comici editionibus quadam scholia uberiora esse, quam que Kusterus edidit.

Sed & nuper Vossius in Erymologico eadem omnia, quae ex H. Steph. attuli, tamquam ex Suida & Aristophanis interprete produxit. Qui etiam Thucydidae Scholia pro eadem sententia laudat: quamquam ejus verba nec Vossius recitat, nec equidem quidquam eo pertinens in Thucy. Scholiis reperire potui, ne in superae quidem Dukerianae editionis indicibus.

tamquam qui scripserint, *cercaram* sic ab insula Corcyra dictum, ut a Paro paronem. Id quod etsi apud eos grammaticos non quivi reperire; tamen esto. Vel si enim hoc ii grammatici dixissent; non me id magnopere moveret; qui sciam *Cercari* vocem in orientis linguis fixas radices habere, uti mox ostendam. Illud me magis movet, quod Tu etiam, Cardinalis optime, videris pag. 13. favere huic sententiae, qua *Cercurus* navis ab insula *Corcyra* derivatur. Evidem etsi non valde repugno (quippe quem olim haec sententia delectaverit, antequam Palaestinas *Cercuri* originationes detexisset) tamen rogo Te, uti des mihi hanc veniam, si, quae in hoc negotio pari cum verisimilitudine dici possint, candide aperiām. Nam contra dici optime possit, *Cercaram* primario quidem navim magnam & longam significare (quae notio mox a me confirmabitur) deinde, quod etiam insula eodem nomine, uteretur, id pertinere ad secundariam ejus vocis significationem, inde ortam, quod ea insula ἡ τοῦ νερού h. e. in *Cercuris* praecipuas vires haberet: sive quia eadem insula *Cercuri* sive navis longae similitudinem praeficeret: aut postremo, quia, uti fert fabula, navis, quae *Vlyssēm* deduxerat, ab irato Neptuno in rupem conversa fuisset. Haec, QVIRINE Cardinalis, quivis pro sua maxima voluntate trahere, quocumque libido sit, poterit. Quin & illud dici ad ultimum possit (nempe ut *Tecum*, ἡ ἔχουσα redeam quocumque modo in gratiam) tam *Cercorum* navem, quam *Corcyram* insulam, a *pervastandi* notione, (quam verbo קַרְקָרָה Karkar inesse dixi) *apicem* fluere.

Omnino autem quidvis potius admiserim, quam ut in hanc sententiam eam, nimirum nomen id prius insulae fuisse, deinde ab insula traductum ad designandam navem. Quid quod orientales Musae aegerrime ferent, *Cercari* navis vocabulum ab insulae nomine repeti? Nam quae navis Graecis Κίρκης est, & Latinis *Cercurus*, ea, inquam, eodem plane nomine, ne una littera minus, ab Syris (7) Arabibusque donatur: quos, quia longissime remotes a nobis, miror, si fando umquam de insula *Corcyra* audiverint, a qua nomen istis navibus inditum per eos fuerit. Quamquam quid multis opus est verbis; quum neget Plinius (8) *Cercorum* a *Corcyraeis* excogitatum, dum diserte eum a Cypriis inventum tradit? cui consonat Nonius, cui *Cercurus* navis est *Afuna* *prægrandis*. Estne hoc credibile, *Asiana* navi potuisse a *Corcyra* occidentis insula

(7) Apud Syros קַרְקָרָה Karkaro & ejus diminutivum קַרְקָרָה Karkarunitbo est navis genus, quod quale sit, in 10. adnotatio-

(8) Plin. viii. 56. ubi de rerum inventoriis, *Celerem*, inquit, *Rhodii*: *Cercuron* Cy- navij genus, prīi. At Cyprus Asiae, non Europæ contrarie dicetur. Item Arabicum קַרְקָר Korcur est navis longa & magna.

Sula nomen imponi? Imo navis Asiana debuit ab Asianis linguis originem sui nominis trahere. Et ita prorsus res habet. Nam quum *Cercurus* nec ex Latino nec Graeco sermone possit explicare originem (9) suam: contra cur Syris *Carcuro*, itemque Arabibus *Cercur* vocetur, Asiaticae id linguae edifferent. Est enim, ut ante dictum, ab Heb. verbo קַרְקָר *Karkar*, quod est *vastare* & *perrumpere*: quod *cercuris* optime convenit, de quorum forma ac magnitudine videat, cui *cupido est*, inferne (10) adnotata.

Viso,

(9) Vulgo hoc persuasum habent, κέρκαρος & οὐρά componi, quorum utrumque *caudam* significat. Id li verum; possis eam vocem interpretari *caudocaudatum*: quod incepitimum esse nemo non videt. Et tamen quorumquemque invenies, qui *cercurum* non dicat esse *caudatum navem*? Si porro urgeas, quod tette id doceant: afferuerat illud Etymologi *cercurum* definitis τῷ μεγάντι ἔχον πρόμαχον, *navigium puppim longam babeni*. At illud quo pacto cum illa altera ejusdem Etymologi definitione convenit, qua dicit esse τίδης πλέιν βραχίονα, *brevis navigii gemus*? nisi vero unum idemque longum ac breve simul esse possit. Apparet igitur, illam *longam puppim* non ex vero a grammaticis in *Cercuri* definitione posita, sed nomini, quod Graecum putarunt, superstructam: sive, ut verbo dicam, *longam puppim* ad notationem nominis, non ad rei definitionem, ex mente grammaticorum, pertinere. Qui tamen splendide in eo falluntur: quia vox *cercuri*, utpote Asiana rei, nec in Graecia nec in Latio fixas radices habet, sed in Asiaticis linguis.

(10) *De Cercuri mole & constitutione.*

Circa *Cercuri* molem in oppositas sententias antiquorum auctoritates me trahunt. Nonius ait esse navem Asianam *praegrandem*. Qui quae loca ex Plauto ac Lucilia affert, ea *cercurum* certe *praegrandem* ostendunt. Quale est illud Plauti Sticho II. 2. 42.

Dum percontor portantes, ecquae navis uenierit

Ex Asia: negant venisse. Conspicatus sum interim

Cercurum, quo ego me majorem non uidebam censeo.

In portum uento secundo, uela passo peruenit.

Nec aliud suadet locus ex ejusdem Prologo Mercatoris. Eodem spectant & illi hexametri Lucilliani apud eundem Marcellum, ita procul dubio constituendi:

*Ad regem legatu' Rhodium, Ecbatanam,
ac Babylonem*

Ibo, cercurum sumam.

Qui locus navem ejusmodi dat intelligere, quem legatus ad tantum regem sibi decoram existimat. Postremo huc accedit Arabicæ significatio vocis كُرْكُر *Korkur*, quae vox in Lexicis redditur *navigis longa & magna*. Quo etiam spectat Bocharti etymologia *Corycraorum* Armeniae montium, quos putat ab Arabicæ ea voce dictos, quia in iis aliquando Noachicum *navigium substitueret*. Hujus autem *navigij longitudo* ac *magnitudo* quanta fuerit, nema ignoratur.

At contra Etymologicum magnum *cercurum* esse ait εἰδης πλέιν βραχίονα, *brevis navigii gemus*. Adhac Atheneus V. cap. xi. *cercurum* ponit inter admirandæ illius navis Hieronis τὰ πόλλα: de quo loco infra. Plinius VII. 56. *cercuron*, quem ait a Cypriis inventum, inter genera minorum *navigiorum* recenset. Cum myoparonibus & lembis eundem comparasse videtur Suidas in Κέρκαρος. Postremo Syrum Καρκούρ *Karkuro* Act. xxvii. 16. 30. σκάφη respondet, h. e. *navigio* tantulo, quod & intro in nivem attollebatur, & rursus de navi demittebatur, prout usus poscebat.

In hoc antiquorum discidio, quid sequar incertum habeo. Sed tamen prior notio & Hebraicæ etymologie convenientior, & malito verior mihi videtur. Quod sicubi pro brevi *navigio* ea vox usurpat, id κατάχρησις factum puto: cuiusmodi κατάχρησις in Syro Act. xxvii. ubi *Karkuro* pro σκάφη sumitur, manifesta est: nam & Syrus alter interpres in 2. Mach. xii. 3. idem vocabulum de iis γραπτοῖς usurpat, ex quibus ἀσθετοὶ i.e. classis continet. Aut vero *cercurus* genus erat *navigis* piraticæ, sicuti & *myoparo*, & aliae quædam: quæ quidem major aut minor esse poterat: verum cujuscunque molis esset, at formæ certe talis erat, quæ ad *vastandum* & *perrumpendum* (id quod Hebraica etymologia natat) imperio facta valeret. Ac videtur non male comparari posse cum nostris γαλεῖς i.e. longis ac rotundatis *navigibus*, de quibus Ebrardus,

armos agut galea, pelagus percurro galea:

Item, nescio quis alter,

In terris galeas, in aquis formido galeas.

Viso, *Cercuri* navis originem ab Hebraeo sermone esse; jam & illud sequitur, insulam eodem nomine fuisse donatam, sive simpliciter quod in re navalium plurimum posset, ceterosque maris portentes impetu facto *vastaret* ac perderet (nimurum a rad. קַרְקָר Karkar, de qua toties diximus, deducto *καρκαρ* nomine) sive quod *Cercuris* validissimis classem instructam haberet; sive postremo quod ipsa insulae species *Cercurum* referret, sive navem longam ac rostratam; cuius rostrum illud possumus intelligere, ubi *Phalacrum* & *Cassiopaeum* promontoria existunt. Ac ne cui incredibile videatur, huic insulae nomen a navibus aut a naval re factum: revo-centur huc ea, quae de *Spinetico* Padi ostio, ejusque etymologia diximus in *Tyrrhenicis* nuper Romae editis, Diatriba I. pag. 25. Nempe *Spina* est ipsum Hebraicum *Spinah* סְפִינָה *Spina*, (quod *navem* notat) ob eas rationes, quas ibi assignavimus. Sicuti & *Corcyraeis* Armeniae montibus ab Arabico *Korkur* i. e. a *navigio* Noachico ibi olim superstite nomen est, auctore Bocharto: cui cur non idem in *Corcyra* visum fuerit, haud habeo dicere. Nisi quod satis apparet, hunc tantum virum ad hujus insulae nomina enucleanda parum attentum animum attulisse.

Quandonam vero primum *Corcyrae* nomen usurpari coeperit, haud facile dixerim. Ex allata tamen etymologia credibile fit, non ante usurpari coeptum, quam ea insula multum mari posset. Ac nemo sane est, quin observarit, abesse id nomen ab universo Homeri poemate: ex quo cave colligas, Homeri aetate id nomen nondum in usu fuisse. Nam contra id nomen Homero antiquius esse infra (adnot. II.) ex non dubiis indiciis a me demonstrabitur.

7. Pro

quas etiam posterior Graecia γαλαῖας aut γαλεῖας nuncupavit: quae, ubi minores sunt, nostris *Galeottis* appellantur, at olim Alberto Aquensi apud Cangium, *galeidae* dicebantur.

Atque ea demum, ni fallor, *Cercuri* notio vera est. Videtur enim *galeae* nostrae similis fuisse, aut certe (si quidem minor) de genere *galeotarum* nostriarum. En loca quae possint eam notionem ingerere, Livius XXXII. 19. *Ipse* (Antiochus) cum classe centum tettarum navium, ad hoc levioribus navigiis, cercurisque ac lembis ducentis, proficiuntur. Vbi vides etiam Asiaticam navem fuisse: sicuti & in Memnonis loco ex lib. xv. quem locum citat Valerius ad Harpocrationem in Κέρκυρᾳ. *Mithridates* (ait Memnon) praeceps ceterum ingenitem exercitum, comparabat etiam (τριηρίς) triremes quadringerias (των δέ μικροτερῶν πηνῶν, καὶ πετακοντόεντων, καὶ κερκοντόεντων αγιδίμος. ἦν οὐκ ὀλιγός) minores autem παντες, tunc quinquagenis remis actas, tum

cercuros, magno numero. Adstipulatur & Athenaei locus lib. v. cap. xi. ubi de portentosa Hiēronis navi, quae Syracusia dicebatur. Cuī inter εφόλκια i. e. inter *naves comites* (id enim εφόλκιον significat, navem scil. quae alii primariae, tamquam appendix, comes adjungitur) primum locum obtinet Κέρκυρας τρισχίλια τάλαντα δεκασδεκάδα δυραίων circūrus tria milia talinta ferre valens. Qui statim addit, πᾶς δὲ οὗτος επικακτός, torusque remis agebatur: quo significatur, istum quidem Hiēronis cercurum tantummodo remis actum (sicuti & Lucillianus cercurus apud Nonium in ead. voce lignis [an lignis ?] locus enim corruptissimus est] pedibus i. e. remis concurrere dicitur) ceterum confuevisse alios etiam velis uti: alioquin frustra id admonuisset. Hinc Plautinus Cercurus In portum vento secundo, velo passo pervenit. Atque haec de cercuri mole & constitutione quiui dicere.

7. *Pro navalii Corcyrae notione peroratio causae
apud ἑράκλειον, Cardinalem.*

Habes, sapientissime Cardinalis, *Corcyrae* tuae etymologias plures, quemadmodum promissum a me fuit, expositas. Jam tui judicij erit, quo plurimo vales, eam diligere ex omnibus, quae Tibi verissima videatur. Mihi sane si detur optio, seponerem mihi prae ceteris ultimam, *Corcyraeis* maxime gloriosam. Atque ea causa fuit, cur, postquam insulani nocti sunt *Corcyrae* nomen, eo unice sint delectati, atque illud unice in nummis suis circumferri voluerint; ut qui intelligerent, eo nomine maris sive imperium sive maximam potentiam significari. Verum non ante animum inducam, ut huic sententiae plane adhaeream, quam meae huic veluti praerogativae judicij, postremo tuum o Cardinalis suffragium acceperit. Atque ut hanc tamen ultimam prae originationibus aliis tuo, **QVIRINE**, judicio adprobes; dicam pro ea equidem, tamquam pro mea clienta, apud Te causam.

Etenim *Corcyrae* vocabulum, si quidem ex Asianis radicibus explicetur, res illas plures, quas proxime demonstravi, designare potest; την πολυκαρπιαν, popinales delicias, aurigationem, saltandi artificium, postremo navem ac rem naviculariam. Et haec quidem omnia in insulam illam, si Homeri auctoritate stamus, pulchre convenient. Verum ubi primum id sibi nominis insulani imposuerunt, non est verisimile, eos has res simul omnes spectavisse, easque omnes eo uno nomine complecti voluisse. Quocirca ea maxime notio feligenda ex omnibus est, quam sibi praeter ceteras pulchram atque decoram *Corcyraei* duxerint, quando id sibi nomen tribuerunt, inque nummis signaverunt. At equidem nullam earum notionum, quas supra posui, gloriosam aequem, ac navalem potentiam, nostris insulanis reperio: quocirca hanc demum significationem, unam omnium verissimam atque ab historiis testatissimam, simul vero sibi honorificentissimam, illos spectasse opinor tum, quum de eo nomine arripiendo cogitarunt.

At vero ex aliis illis *Corcyrae* significatibus id factum est, ut praebetur ansa viris otiosis h. e. mythologis, narrationes cedendi plures, singulis illis vocabuli notionibus consentaneas: quae quidem narrationes, nisi me fallit opinio, non tam ex vero, quam ex variis nominis illius significantiis ortae videntur. Quemadmodum ergo *Ausaris & Scberiae* nominibus (de quibus supra) antiqui *cobibitorum* aut *azayforum* fluminum gratas in vulgus fabellas superstruxerunt; & ut ex בָּצָרְבָּא bosra fecere *Byrnam*, ex qua deinde voce corri in segmenta disseicti narrationem commenti fuere; ut alias sexcentas ejusdem farinae taceam: idem prorsus & *Corcyrae* vocabulo accedit; quod, quo plures significantias continet, hoc plures fabellae.

las de se protulit. Nam quum antiqui scirent, *Coryrae* nomini inesse fructuum significationem; hinc Poeta summus mira & portentosa de insulae feracitate praedicavit. Item, quandoquidem id nomen *gulosum* notat; satis id causae fuit, quamobrem insulani ea flagrarent infamia. Sic etiam quia eidem nomini οὐ σφαιρίζει, & *au-*
rigationis, ac potissimum *salutationis* subest notio; continuo ob eam causam haec insula tum pilae lusus, tum aurigandi, tum maxime tripudiandi magistra apud Homerum effecta est: cui poetae innotuisse *Coryrac* nomen, haec quae ab illo de insula praedicantur, maximo argumento (11) sunt. Quis autem praestare ausit, haec quae de *Coryra* a poetis decantantur, vera existisse omnia? imo quis non potius pro certo affirmabit, ea pluribus illis *Coryrae* significatibus fuisse inaedificata? At contra navalis peritia ac potentia & verissima, quippe comperta ex historiis, & eadem honorifica maxime insulanis erat. Proinde non immerito haec potissimum vocis illius notio spectata fuit, quum primum nomen illud usurpari coepit. Accedit postremo *Spinetici* ostii appellatio a re navali petita. Imo & illud accedit, quod quemadmodum, ut modo innuebam, *Coryraei* Armeniae montes ab Arabico *Korkur* aut *Syro Karkuro* (quorum utrumque *narem* significat) nomen sibi arcessunt, nempe in memoriam navigii Noachici, quod in montibus illis substituerat; non alia quoque de causa *Coryram* nostram sic appellari placuit, a *navali* studio potentiaque, quae & Homerum & simul universam antiquitatem praecomponeret. Etsi deinde, uti fit, haec quoque verissima *Coryrae* significatio fortassis ansam fabulandi dedit de *Coryraeorum navi*, quam ex *Vlyssis* αὐτοποιῶν reducem *Neptunus* αὐτοποιῶν.

Atque haec tenus dicta per me est pro ultima *Coryrae* originatione causa. Nunc rogo Te vehementer, ANGELE Cardinalis, ut eam etymologiam, simulque ceteras forores ejus, quas hoc Sche diasmate sum complexus, destitutas patronis, ac solitudine tabescentes, nunc vero primum vix ausas prodire in publicum, tuum in patrocinium adsciscas, ac pro tua in eam insulam caritate foveas fulciasque: postremo uti me quoque pari benignitate ac benevolentia complectaris, quasi unum scilicet de insulae tuae (in omne aevum memorabilis ac beatissimae, per Te vero in celissimo gloriae fastigio collocatae) studiosis. Dixi.

(11) Jam hoc planius dicam. Certum est, *Coryracam πολυκάρπας*, mensarum delicias, aurigandi ac iactandi tolleriam, eis narrationes ex diversis *Coryrae* nominis significatibus derivatas. Ergo, si Homerus primus omnium eas narrationes confinxit: tum vero *Coryrae* nomen Poeta magno antiquius esse debuit. Sin eas narrationes ab antiquioribus exco-

gitatis si suo poemati insperat: tum vero mule etiam vetustius evadet *Coryrae* vocabulum. Vtrum vero id nomen *Vlyssis* aeo usurparetur, incertum est. Nec ex Poetae silentio necessario efficitur, id nomen Iliacis temporibus esse recentius. Id saltem ex eo silentio efficitur, id nomen suisse recentius ceteris: quia poetae antiquiora semper nomine usurpare confluverunt.

UPE I. — CLASSE 1.

erhout (Brabant septentrional) en 1812, élève

rie) en 1843, élève du professeur C. de Piloty.

rt en 1876, élève de Mössmer (Académie de

arie impériale-royale des Beaux-Arts, à Vienne.

R. le duc de Saxe-Cobourg-Gotha, à Vienne.

, élève de l'Académie de Vienne.

R. le duc de Saxe-Cobourg-Gotha, à Vienne.

1831, élève du professeur C. Rahl.

) en 1854, élève du professeur A. Zimmer-

8, élève du professeur Ed. Engerth (Acadé-

rie impériale-royale du Belvédère, à Vienne.

29, élève du professeur Waldmüller.

Fugger, à Augsbourg (1538).

en 1841, élève du professeur E. de Engerth

1846, élève du professeur Piloty.

Appartient à S. M. l'Empereur d'Autriche.

Appartient à M. T. Eggers, à Vienne.

las de se protulit. Nam quum antiqui inesse fructuum significationem; hinc Potosa de insulae feracitate praedicavit. Item *gulosum* notat; satis id causae fuflagrarent infamia. Sic etiam quia eidem *rigationis*, ac potissimum *salutationis* sed causam haec insula tum pilae lusus, tui tripudiandi magistra apud Homerum et tuisse *Corcyrae* nomen, haec quae ab maximo argumento (II) sunt. Quis aute de *Corcyra* a poetis decantantur, vera non potius pro certo affirmabit, ea per catibus fuisse inaedificata? At contra verissima, quippe comperta ex historiis xime insulanis erat. Proinde non imm illius notio spectata fuit, quum primus sit. Accedit postremo *Spinetici* ostii a Imo & illud accedit, quod quemadmodum *Corcyrae* Armeniae montes ab Arabicis (quorum utrumque *narem* significat) pe in memoriam navigii Noachici, quare; non alia quoque de causa *Corcyrae* cuit, a *navigali* studio potentiaque, quaversam antiquitatem praeconem habuit quoque verissima *Corcyrae* significatio dit de *Corcyraeorum navi*, quam & Neptunus *artelithos*.

Atque haec tenus dicta per me est tione causa. Nunc rogo Te vehementer eam etymologiam, simulque ceteras i diafragma sum complexus, destitutas pates, nunc vero primum vix ausas per patrocinium adsciscas, ac pro tua in fulciasque: postremo uti me quoque lentia complectaris, quasi unum scilicet evum memorabilis ac beatissimae, iriae fastigio collocatae) studiosis. Di

(II) Jam hoc planius dicam. Certum est, *Corcyraeam πολυκαρπίαν*, mensarum delicias, aurigandi ac saltandi sollertia, etie narrationes ex diversis *Corcyrae* nominis significatiis derivatas. Ergo, si Homerus primus omnium eas narrationes confinxit: tum vero *Corcyrae* nomen Poeta magno antiquius esse debuit. Sin eas narrationes ab antiquioribus ex-

gita
etia
Vtr
ince
effic
er

AUTRICHE. — GRO

Fischer (H.-L.), à Vienne, né à Salzbourg professeur E. Lichtenfels. (Académie de Vienne).

33. Paysage (le soir).

Frei (W.), à Carlsruhe, né à Achenthal (T)

36. Vaches au pâture.

Friedländer (D^{ee} C.), à Vienne, né à Friedländer.

37. Nature morte.

38. Nature morte.

39. Nature morte.

Friedländer (F.), à Vienne, né à Kohlberg professeur F. Waldmüller.

40. Le nouveau camarade.
Galerie de tableaux

Fux (J.), né à Stienhof (Basse-Autriche). (Académie de Vienne).

41. La cour de Léopold I^r.
42. Sacrifice de pigeons.

Gabl (A.), à Munich, né à Pitzthal (Tyrol).
43. Le curé arbitre.

Gaul (G.), à Vienne, né à Vienne en 1838.
44. Portrait.

Geyling (R.), à Vienne, né à Vienne. (Académie de Vienne).

45. La pêche.
46. La lutte.

Grabowski (A.), à Lemberg, né à Cracovie (Académie de Vienne).

47. Portrait.

Graf (L.), à Vienne, né à Vienne en 1838.
48. Portrait.

Griepenkerl (C.), professeur à Vienne C. Rahl.

49. Portrait de dame.

50. Portrait du peintre R. Alt.

